DE CANTICIS TERENTIANIS
CAPITA TRIA

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI
CONSOCIATA
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

GUILELMUS BAESE
BURGENSIS

HALIS SAXONUM
MDCCCCIII
TYPIS EXPRESSIT AUGUSTUS HOPFER BURGENSIS PARTHENOPOLITANORUM

GEORGIO WISSOWA

SACRUM

Duo membra in comoediis Romanorum discernenda esse Diomedes grammaticus tradidit de poem. p. 491,29: *Latinae comoediae chorum non habent, sed duobus membris tantum constant, diverbio et cantico.* Iam quaeritur, quomodo singulae comoediarum partes aut canticis aut diverbiis attribuendae sint. Nam in fabulis Plautinis et Terentianis — ut omittam fragmenta aliorum poetarum — quattuor genera intelleguntur compositionis, quorum primum complectitur senarios continuatos, alterum scaenas septenariis compositas, in quibus trochaici septenarii, iambici septenarii, iambici octonarii perpetuati pronuntiantur, tertium quartumque monodias et dialogos lyricos omnia metra praeter senarium iambicum inter se permiscentes. Ad quae respiciens idem Diomedes p. 491,24 docet haec: *In canticis autem una tantum debet esse persona, aut si duae fuerint, ita debent esse, ut ex occulto una audiat nec conloquatur, sed secum, si opus fuerit, verba faciat.* Unde liquet canticum a grammatico intra monodiarum terminos coerceri et diverbii nomen ita usurpari, ut omnia dialogorum genera significet et per sermonem et per cantum pronuntiata; quod etiam Livius VII 2,10 vult intellegi dicens: *Inde ad manum cantari histrionibus coeptum, diverbiaque tantum ipsorum voci relicta.*

Neque vero hanc sententiam sequuntur Plauti fabularum libri Palatini, in quibus cantica littera C, diverbia litteris DV aliquoties notata sunt, idque eo modo, ut non nisi partes senariis inclusas diverbia, reliquas autem partes omnes cantica nuncupari quivis videat.[1]) Sed tertiam sententiam defendit Donatus[2]) in praef. Eunuchi p. 266,16 Wessn.: *Deverbia in illa crebro pronuntiata et cantica saepe mutatis modis exhibita sunt:*

---

[1]) Ritschl, Mus. Rhen. XXVI 599sqq. = Opusc. III 33sqq.

[2]) Cf. etiam praef. Andr. p. 36,12 Wessn.; praef. Phorm. p. 14,17 Reiff.; praef. Hec. p. 12,22 Reiff.

Adelphorum p. 7,12 Reiff.: *Saepe tamen, mutatis per scenam modis, cantica mutavit: quod significat titulus scenae, habens subiectas personis litteras MMC. item deverbia ab histrionibus crebro pronuntiata sunt, quae significantur D et V litteris secundum personarum nomina praescriptis in eo loco, ubi incipiat scena;* de comoedia p. 71,250 Kaibel (Fragm. com.): *Deverbia histriones pronuntiabant, cantica vero temperabantur modis non a poeta, sed a perito artis musicae factis. neque enim omnia isdem modis in uno cantico agebantur, sed saepe mutatis, ut significant, qui tres notas MMC in comoediis ponunt, qui [tres] continent „mutatis modis cantici".* Quibus omnibus locis in libris pro *diverbium deverbium* scriptum legimus. Atque hanc formam Dziatzkone[1]) auctore Ribbeck[2]) et Friedländer[3]) rectam esse putant, cum Bücheler[4]) et Ritschl[5]) diverbium legitimum esse contendant. Sed docuit me Georgius Wissowa hanc nominis discrepantiam non librariis deberi, sed cohaerere cum ipsa diversa rei interpretatione, cum ii grammatici, qui cantici nomen solis monodiis reservabant ideoque diverbii naturam in colloquendo consistere arbitrabantur, Graecam notionem διαλόγου per diverbium redderent,[6]) alii, quibus diverbiorum canticorumque discrimen in recitando cantandoque consistere videbatur, Graecam vocem καταλογῆς latine verterent per deverbium. Quam Donati opinionem probat Petronius cap. 64: *Solebas suavius esse, belle diverbia canturire, melica dicere.* Atque etiam nos hanc divisionem accipimus: omnes scaenae aut partes scaenarum versibus continuatis compositae diverbia, versibus variatis effectae cantica nobis appellantur.

Sed cum apud Plautum nullo perspiciatur negotio, ubi versus variari desinant, continuari incipiant et propter notationes et propter metra lyrica a reliquis facile distincta, in comoediis

---

1) Mus. Rhen. XXVI 101 sqq. Fleckeis. annal. LXXIII 1871 p. 819.

2) *Röm. Tragoedie* p. 633 sqq.

3) Marquardt, *Röm. Staatsverw.* III 522.

4) Fleckeis. annal. l. c. p. 273 sqq.

5) Mus. Rhen. XXVI 618.

6) cf. Diomed. p. 491,22: *diverbia sunt partes comoediarum, in quibus diversorum personae versantur.*

Terentianis hoc difficile est discernere. Neque enim in libris manuscriptis cantica, quae sunt mutati generis versibus inclusa, litteris notantur neque metra inveniuntur lyrica tribus locis exceptis: Andr. 481—85; 625—38. Ad. 610—15. Itaque exsistit quaestio, quomodo fines canticorum circumscribamus; qua de quaestione Conradtius vir doctissimus optime disseruit.[1]) Constat enim primum non alio loco versus variari coeptos esse nisi in initiis scaenarum, deinde autem et trochaicos octonarios et clausulas liberas (Conradt l. c. p. 20) et singulos senarios clausularum loco positos in canticis solis deprehendi. Qua re quamquam initia canticorum nemo non agnoscit, tamen de exitu eorum saepe dubitatur, cum variati versus non usque ad finem scaenae perduci soleant. Itaque, ubicumque Terentium a mutati generis versibus ad stichicos descendere videmus, sed ubi diverbium incipiat non liquet, fabulae actionem et ordinem sententiarum examinemus necesse est.

---

[1]) Conradt, *Die metrische Composition der Comoedien des Terenz.* Berlin 1876.

I.

De versuum delectu.

De his comicorum poetarum canticis qui homines docti instituerunt quaestionem, ei omnes primum carminibus Plautinis operam dederunt. Itaque cum apud Bentleium canticorum notio incerta sit, G. Hermannus[1]) discernit inter carmina soluta, antistrophica, soluta mixta antistrophicis. Tum vero multum profecerunt et Ritschelius, qui primus cantica diligenter separavit a diverbiis,[2]) et Studemundus, qui praecipue de versuum distinctione meritus est.[3]) Atque etiam Winter, *Metr. Reconstruction der Plaut. Cantica* 1880, Christ, *Metr. Bemerkungen zu den Cantica des Plautus* 1871, Spengel, *Reformvorschläge zur Metrik der lyr. Versarten bei Plautus u. den übrigen lat. Scenikern* 1882, aliquid ad metra cognoscenda contulerunt. Sed Fr. Leo[4]) cum metrorum exempla investigare conaretur, primum quidem lyricam Plautinam e vetere comoedia Graeca derivare voluit. Postquam vero carmen illud celeberrimum Grenfellianum nuper inventum ad scaenicam artem aetatis, quae vocatur, Alexandrinae pertinere compositionisque lyricae inde ab Euripidea arte processus luculentissime illustrare docuerunt et Wilamowitz[5]) et Crusius[6]), Leo Plautinas comoedias denuo in quaestionem vocavit.[7]) Itaque, cum usque ad id tempus in diversas abierint partes viri docti, cuius exemplum poeta in metris scribendis secutus sit, nunc

[1]) De canticis in Romanorum fabulis (opusc. I 290).

[2]) Mus. Rhen. XXVI 599 sqq. XXVII 186 sqq. = Opusc. III 1 sqq.

[3]) De canticis Plautinis. Diss. Hal. 1864.

[4]) Mus. Rhen. XL 161 sqq.; cf. Bursiani annal. XLVIII 139.

[5]) *Nachr. d. Gött. Ges.* 1896 p. 231.

[6]) Philologus LV 384.

[7]) *Die Plautin. Cantica.* Berol. 1897, *Abhandl. der königl. Ges. der Wissensch. zu Göttingen* n. s. vol. I fasc. 7.

ambigi non iam licet. Nam constat carmen illud Grenfellianum ab altera parte cum Euripidis re metrica recentiore arte cohaerere, ab altera parte etiam magnam cum Plauti carminibus similitudinem offerre, ut nos pontis instar a poesi Graeca ad Romanam traducere videatur. Quocirca dubium esse nequit, quin canticorum componendorum Plauti ars ex Graeca eiusdem temporis derivanda sit. Sed cum carmen illud ad singula metra comparanda non praebeat satis materiae, cantica et versus fabularum recentiorum Euripidis adhibere necesse est. Qua in comparatione apparet, quamquam versus singuli cum exemplis Graecis congruant, tamen versus universos a re metrica Graecorum abhorrere propterea, quod Plautus stichicos frequentissime usurpat aut eos versus, quos ipse ex elementis usitatis componit, aut eos, quos usque adhuc non nisi singillatim scriptos reperimus. Itaque octonarii trochaici, iambici, anapaestici, dimetri trochaici, iambici, anapaestici, tetrametri bacchiaci, cretici, Reiziana, cola cretica:

— ∪ — — ∪ — | — ∪ — ∪ —
— ∪ — — ∪ — | — ∪∪∪ —

et apud Graecos et apud Plautum occurrunt, ita tamen, ut apud Graecos singuli aliis colis intermisceantur, cum Plautus eosdem versus primus continuet. Quae cum ita sint, nullo intellegitur negotio, quomodo poeta exempla sua non transtulerit, sed potius excoluerit, quomodo materiam datam non modo acceperit, sed amplificaverit.

Quo accedit, quod Plauti cantica metrorum varietate abundant et diversissimos coniungunt versus. Nam non solum iambicum, trochaicum, anapaesticum, bacchiacum, creticum rhythmum reperimus, sed etiam ionici, choriambi, Diphilei, dactyli, ithyphallici, Reiziana, glyconei, Adonii legenti occurrunt. Deinde vero carminum compositionem strophis plane carere, postremo omnia cantica dividi in metrorum periodos, quae sententiam integram includunt, quivis viderit. Atque haec insignia etiam lyricam poesin tragoediae ornant posterioris. Huc accedit alterum. Scilicet in iisdem Euripidis tragoediis, in recentioribus potissimum, chori carmina magis magisque ab

ipso fabulae argumento solvi additamentique extrinsecus agglutinati vice fungi nemo nescit, cum numeri gravitate veteris musicae dissoluta in varietatem et licentiam diffluant eamque ob causam carmina amoebaea et monodiae latius extendantur, ut pulcherrime elucet ex Arist. probl. XIX 15: οἱ διθύραμβοι, ἐπειδὴ μιμητικοὶ ἐγένοντο, οὐκέτι ἔχουσιν ἀντιστρόφους, πρότερον δὲ εἶχον. αἴτιον δὲ ὅτι τὸ παλαιὸν οἱ ἐλεύθεροι ἐχόρευον αὐτοί· πολλοὺς οὖν ἀγωνιστικῶς ᾄδειν χαλεπὸν ἦν, ὥστε εὐαρμόνια μέλη ἐνῇδον. μεταβάλλειν γὰρ πολλὰς μεταβολὰς τῷ ἑνὶ ῥᾷον ἢ τοῖς πολλοῖς, καὶ τῷ ἀγωνιστῇ ἢ τοῖς τὸ ἦθος φυλάττουσιν. διὸ ἁπλούστερα ἐποίουν αὐτοῖς τὰ μέλη. ἡ δὲ ἀντίστροφος ἁπλοῦν. ἀριθμὸς γάρ ἐστι καὶ ἑνὶ μετρεῖται. τὸ δ'αὐτὸ αἴτιον καὶ διότι τὰ μὲν ἀπὸ τῆς σκηνῆς οὐκ ἀντίστροφα, τὰ δὲ τοῦ χοροῦ ἀντίστροφα.

Itaque carmina illa post Euripidis mortem pro poetae auctoritate magis scaenam occupasse et Plautinas comoedias hunc processum ad finem perducere nemo infitias ire potest. Ex quo efficitur, ut Plautus cum novae comoediae Graecae ratione rationem carminum Graecorum temporis sui videatur coniunxisse.

Sed cantica Plautina et Terentiana legentes et altera cum alteris comparantes miramur, quantopere inter se differant. Nam cum apud Plautum maxima metrorum lyricorum varietas et numerorum abundantia deprehendantur, apud Terentium memorabilis invenitur simplicitas, quae non nisi paucos versus paucorum rhythmorum variatos continet. Verumtamen Terenti canticorum quaestio ad exitum certum nondum promota est. Quamquam enim Conradtius de distinguendis stichici et mutati generis versibus optime iudicavit, tamen in definienda carminum compositione (cf. caput III) non minus videtur erravisse, quam Meissnerus.[1]) Etenim uterque vir doctus sibi persuasit cantica tripertita esse. Sed cum Conradtius strophas, antistrophas inter se respondentes, epodos discernat, Meissnerus docet in canticis vel unum systema vel complura systemata dispici strophas, mesodos, antistrophas continentia. Quae cum ita

---

[1]) Meissner, *Die Cantica des Terenz und ihre Eurythmie* (Fleckeis. annal. suppl. XII).

sint, res digna videtur, in quam diligentius inquiramus. Neque enim fabulae Terentianae attinent ad ποιήματα κατὰ στίχον μικτά, ὡς αἱ Μενάνδρου κωμῳδίαι, πῆ μὲν γὰρ τετράμετρα ἐν τῷ αὐτῷ ποιήματι, πῆ δὲ τρίμετρα εὑρίσκεται (Heph. π. ποιήμ. 65), quamquam metrorum simplicitate a fabulis Plautinis maxime abhorrent. Nam in plerisque canticis sola inveniuntur cola trochaica et iambica haec:

1. troch. octonarius
2. troch. septenarius
3. iamb. octonarius
4. iamb. septenarius (rarius)
5. troch. dimeter } clausularum officio fungentes.
6. iamb. dimeter }

Illi autem versus, qui inter mutatos modos cantici occurrunt, etiam in diverbiis omnes frequentes sunt excepto primo, qui in canticis solis tenet locum. Huc accedunt tria carmina, in quibus lyrica metra deprehenduntur. Nam in Andriae v. 481—85 quattuor bacchiacos tetrametros claudi videmus iambico dimetro catalectico, qui apud Terentium uno hoc loco clausulae vice fungitur, cum in eiusdem fabulae v. 625—38 versuum ordo instituatur hic:

tetrameter dactylicus
novem tetrametri cretici
duo hypodochmii formae — ⏑ — ⏑ — | — ⏑ — ⏑ —
iambicus dimeter acatalectus
duo tetrametri bacchiaci.

Difficilius est dicere de Adelphorum versibus 610—24 (cf. Leo l. c. p. 21. 45). Nam primum quidem colon dactylicum — ⏑⏑ — ⏑⏑ — continuatur versu Reiziano, quem subsequuntur choriambi:

— ⏑⏑ — — ⏑⏑ — — ⏑⏑ — ⏑ — —
— ⏑⏑ — — ⏑⏑ — — ⏑⏑ — ⏑ — —
— ⏑⏑ — — ⏑⏑ — — ⏑⏑ —

et tria cola formae — ⏑ — — —,

quae metra versibus trochaicis excipiuntur.

Nunc carminum metris perlustratis deliberatio omnis est haec, cuius exemplum in canticis componendis Terentius secutus sit; qua in deliberatione maxime metra et mediae et novae comoediae Graecae, quippe ex quibus poeta fabulas suas hauserit, inspiciamus necesse est. Itaque primum hoc vere licet dicere, utramque comoediam choricis carminibus plane carere et metris uti simplicioribus, trimetro dominante, qui tetrametro locis sublimioribus cedit. Neque tamen, ut ex Hephaestionis (π. ποιήμ. 65) verbis conici potest, metra lyrica omnino desiderantur, neque Marius Victorinus p. 50 recte mihi videtur iudicasse: *Tragicum autem (carmen), quod trimetro magis versu componitur, quo usi sunt Sophocles et Euripides, comicum vero varia versuum et modulorum lege compositum reperitur, sicut plerumque apud Menandrum, sed et alios cognoscimus.* Immo probabilius fit, quod apud Ioh. Tzetzam in prooem. de com. III 15 p. 18, 16 Kaibel (Fragm. com.) scriptum legimus: ἡ μὲν νέα τῷ ἰαμβικῷ μέτρῳ ἐπὶ πλεῖστον χρῆται, σπανίως δὲ καὶ ἑτέροις μέτροις, τῇ δὲ παλαιᾷ πολυμετρία τὸ σπουδαζόμενον. διασκευῇ δὲ ὅτι ἐν μὲν τῇ νέᾳ χορῶν οὐκ ἔδει, ἐν ἐκείνῃ δὲ καὶ μάλιστα. Neque vero hoc neglegendum est, scriptores veteres ex comoediae mediae recentisque fabulis tam exiguum fragmentorum lyricorum numerum nobis tradere ideo, quod in canticis sententias non nisi raro deprehendas, diverbiis saepissime sententiae, dicta, proverbia, praecepta inseruntur, quibus laudandis delectantur auctores.

Iam media examinata comoedia apud Antiphanem inveniuntur haec metra: dimetri anap. (frg. 90, 91, 112, 132, 133, 172) hexametri dactylici trimetris interpositi (194, 196), distichon (149), troch. septenarii et Choirilia (174); apud Anaxandridem: paroemiacus cum tetrametro anap. coniunctus (10), anap. dimetri (27, 41), hexameter dact. (50), iamb. tetrametri cat. (34); apud Eubulum: anap. dimetri (63, 77, 138), hexametri et ithyphallici (35, 139), hexametri (28, 107, 108), dact. tetrametri (105), fragm. dact. (104), paeones (112); apud Alexim: anap. dimetri (162), hexametri (22), Eupolidea (206, 237), Choirilium (132); apud Ephippum: anap. dimetri (1, 5, 12, 13,

19); apud Anaxilam: anap. dimetri (18), glyconei (13), dactyloepitriti et tetram. cretici (12); apud Axionicum: anap. systema (4); apud Epicratem: anap. systema (11), cum Nicostratus praebeat glyconeos (7).

Qua ex enumeratione intellegitur huius comoediae poetas satis multa metrorum genera usurpasse, inter quae anap. dimetri et dact. hexametri inprimis praevalent. Verum grave discrimen eo in genere est inter illam et comoediam, quam appellant novam. Nam in nova praeter trimetrum et tetrametrum, dialogi versus, non nisi perpauca inveniuntur metra: apud Menandrum, qui primarius est auctor, duo fragmenta anapaestica (312, 313), unus dact. hexameter (443), quo accedit, quod Caesius Bassus p. 255, 10 poetae nostro ithyphallicos in Phasmate adhibitos tribuit et Marius Victorinus de Eupolideo dicit metro p. 104, 5: *exempla plerumque apud comicos in Diphili et Menandri comoediis reperiuntur.* Nec vero aliter res se habet apud Diphilum, cuius in fragmentis occurrunt, praeter quod commemoravimus Eupolideum, dact. hexametri (126), enoplius et ithyphallicus (12), cum Adespota nihil nisi anap. dimetros (787—93), anap. tetrametros (783—85), troch. dimetros (781) contineant et Apollodori, Philemonis, Dioxippi fragmenta plane careant metris lyricis.

His satis cognitis exsistit quaestio, quatenus Terentius in versibus eligendis exempla sua secutus sit. Atque haec quidem quaestio multum habet difficultatis. Verumtamen primum dicendum est dochmios et iambos, syncope quam dicunt adhibita contractos, quos in carmine Grenfelliano frequentes reperimus, in media et nova comoedia Graecorum desiderari. Immo maxime occurrunt fragmenta anapaestica et dactylica, cum fragmenta metrorum Aeolicorum, troch. tetrametri, dimetri, iamb. tetrametri, cretici tetrametri rarius deprehendantur. Itaque in comoedia Graeca fabulas exstitisse, quae habitum Andriae monstrarent, id est diverbiis interponerent cantica non e solis colis iambicis et trochaicis, sed etiam creticis, anapaesticis, dactylicis composita, nemo infitiabitur. De reliquis vero comoediis Terentianis, quae ne in canticis quidem ultra

iambos trochaeosque procedunt, Leo,[1]) vir doctissimus, non persuadet docens ea de causa fabulas Terentianas ab exemplis Graecis abhorrere, quod cantica stichicorum versuum ordines saepe interrumpant. Quamquam enim perpauca metra lyrica in nova comoedia reperiuntur, tamen non necessario inde sequitur lyricas 'partes sive cantica in ea rara fuisse; nimirum simplicibus composita esse poterant metris, ut fabulae Terenti, quae eosdem versus et continuatos in diverbiis et mutatis modis variatos in canticis usurpant.

Atque eo magis hoc ut credam adducor, quod trochaici octonarii, in canticis solis positi, apud poetam nostrum ex systematibus Graecis videntur derivari. Nam in vetere comoedia Graecorum occurrunt hypermetra trochaica, in quibus complura cola acatalecta continuantur uno dimetro catalectico agmen claudente, hunce in modum, ut dimetri singuli, quamvis συναφείας legibus inter se coniungantur, tamen non desinant nisi in plenum vocabulum, comparabiles hypermetris anapaesticis. Cf. Aristoph. Pac. versus 571—81:

Ἀλλ᾿ ἀναμνησθέντες, ὦνδρες,
τῆς διαίτης τῆς παλαιᾶς,
ἣν παρεῖχ᾿ αὕτη ποθ᾿ ἡμῖν,
τῶν τε παλασίων ἐκείνων
τῶν τε σύκων τῶν τε μύρτων
τῆς τρυγός τε τῆς γλυκείας
τῆς ἰωνιᾶς τε τῆς πρὸς
τῷ φρέατι
τῶν τ᾿ἐλαῶν, ὧν ποθοῦμεν,
ἀντὶ τούτων τήνδε νυνὶ
τὴν θεὸν προσείπατε.

Hoc enim loco decem cola in systema comprehendi apparet, post septimum dimetrum monometro interposito; quam compositionis formam saepissime in systematibus anapaesticis invenies. Exempli gratia cf. Eur. Hipp. v. 176—82:

---

[1]) l. c. p. 85: *Die terenzischen Komödien stehen durch die häufige Unterbrechung der stichischen Form dem Original ferner.*

ὦ κακὰ θνητῶν στυγεραί τε νόσοι.
τί σ' ἐγὼ δράσω; τί δὲ μὴ δράσω;
τόδε σοι φέγγος, λαμπρὸς ὅδ' αἰθήρ·
ἔξω δὲ δόμων ἤδη νοσερᾶς
δέμνια κοίτης.
δεῦρο γὰρ ἐλθεῖν πᾶν ἔπος ἦν σοι·
τάχα δ' εἰς θαλάμους σπεύσεις τὸ πάλιν·

Quam in classem referendos puto etiam Eccl. versus 893—99:

Εἴ τις ἀγαθὸν βούλεται πα-
θεῖν τι, παρ' ἐμοὶ χρὴ καθεύδειν.
οὐ γὰρ ἐν νέαις τὸ σοφὸν ἔν-
εστιν, ἀλλ' ἐν ταῖς πεπείραις.
οὐδέ τις στέργειν ἂν ἐθέλοι
μᾶλλον ἢ 'γὼ τῶν φίλων ᾧ-
περ ξυνείην,
ἀλλ' ἐφ' ἕτερον ἂν πέτοιτο.

quorum a prioribus hoc discrimen est, quod et singuli dimetri in mediis vocabulis finiuntur et ultimus dimeter non catalecticus est, sed plenus.

Porro alia sunt systemata trochaica quasi adulterina eo, quod saepius bina aut adeo terna cola systematis usque ad catalexin percurrentis aut vocabulis in fine colorum discerptis aut arta sententiarum compage inter se coniuncta in versus modum comprehenduntur. Cuius rei exempla sunt versus Aristoph. Equ. 687—90:

ἀλλ' ὅπως ἀγωνιεῖ φρόν-
τιζε τἀπίλοιπ' ἄριστα·
συμμάχους δ' ἡμᾶς ἔχων εὔ-
νους ἐπίστασαι πάλαι.

Ran. 1106—8:

λέγετον ἔπιτον ἀνά δ' ἔρεσθον
τά τε παλαιὰ καὶ τὰ καινά,
κἀποκινδυνεύετον λεπ-
τόν τι καὶ σοφὸν λέγειν.

Ran. 1110—12:

τοῖς θεωμένοισιν, ὡς τὰ
λεπτὰ μὴ γνῶναι λεγόντοιν,
μηδὲν ὀρρωδεῖτε τοῦθ'· ὡς
οὐκ ἔθ' οὕτω ταῦτ' ἔχει.

Eurip. Phoen. 1030—31:

ἔφερες ἔφερες ἄχεα πατρίδι
φόνια· φόνιος ἐκ θεῶν.

Phoen. 664—65:

κρᾶτα φόνιον ὀλεσίθηρος
ὠλένας δικὼν βολαῖς.

Timocreontis frg. 8:

ὤφελέν σ', ὦ τυφλὲ Πλοῦτε μήτε γῇ μήτ' ἐν θαλάσσῃ
μήτ' ἐν ἠπείρῳ φανῆμεν,
ἀλλὰ Τάρταρόν τε ναίειν κἀχέροντα· διὰ σὲ γὰρ πάντ'
ἔστ' ἐν ἀνθρώποις κακά.

quo in exemplo sententia et interpunctio in fine tertii dimetri, catalexis in sexti demonstrant sex cola in duas periodos ternorum colorum disponenda esse.

Praeterea autem unum saltem exemplum offertur, in quo etiam hiatus admittitur in fine periodi e binis dimetris compositae: Anacreontis frg. 75:

Πῶλε Θρῃκίη, τί δή με
λοξὸν ὄμμασιν βλέπουσα
νηλεῶς φεύγεις, δοκέεις δέ
μ' οὐδὲν εἰδέναι σοφόν;||
Ἴσθι τοι, καλῶς μὲν ἄν τοι
τὸν χαλινὸν ἐμβάλοιμι,
ἡνίας δ' ἔχων στρέφοιμί σ'
ἀμφὶ τέρματα δρόμου.|
Νῦν δὲ λειμῶνάς τε βόσκεαι
κοῦφά τε σκιρτῶσα παίζεις·
δεξιὸν γὰρ ἱπποσείρην
οὐκ ἔχεις ἐπεμβάτην.|

Etenim illae tres periodi ex quaternis constant dimetris trochaicis, quorum ultimus est catalecticus, cum bina cola in

unam comprehendantur periodum, quae integram sententiae partem efficiens hiatum admittit in fine.

Quamquam vero fieri non potest, ut dimetrum trochaicum in comoedia nova Graecorum persequamur — nam nihil traditum accepimus nisi duo cola in adesp. 781:

τὸ βδόλον δ' οὐκ ἔστιν ἥτις
ῥὶς ὑποστῆναι δύναιτ' ἄν,

tamen proclivis est coniectura similia dimetrorum paria saepius in fabulis Graecis fuisse adhibita indeque poetas comicos Romanos octonarium suum trochaicum effinxisse et ex more suo non minus στιχικῶς adhibuisse, quam trochaicum septenarium et iambicum octonarium, hoc uno discrimine servato, ut illum versum in diverbia non admitterent. Nam ut in comoediae palliatae carminibus non mediocris est huius metri usus, ita apud Plautum et Terentium nulla exstat scaena, quae tota ex eo versu constet. Immo et Conradtius (p. 23) egregie demonstravit apud Terentium trochaicos octonarios nisi in canticis non occurrere et Bentleius ad Andr. II 1, 7; Eun. II 1, 12; Ad. II 1, 11 docuit eos semper cum versibus sequentibus coniungi continuitate numeri, ut, etsi singuli per se exstant, tamen τῇ συναφείᾳ cum sequente septenario copulati systematis quoddam genus efficiant, scilicet dimetrorum plenorum seriem in dimetrum catalecticum exeuntem.

Sequitur, ut trochaici octonarii sive unus sive complures continuati terminentur aut septenario trochaico:

4 oct. + sept. Phorm. 465, 735; 3 oct. + sept. Haut. 580, Hec. 289, 531; 2 oct. + sept. Eun. 558, Phorm. 479, Hec. 516, 522, 526; oct. + sept. Andr. 247, 305, Haut. 175, 572, Phorm. 157, Hec. 281, 613, 615, 841, 847, Ad. 160, 162, 165.

aut clausula trochaica:

8 oct. + clausula Eun. 739; oct. + clausula Andr. 245, Phorm. 728.

Septenarium autem illum trochaicum, qui octonariorum agmen claudit, excipit aut iambicus octonarius:

3 oct. + sept. + iamb. oct. Haut. 567, Eun. 618; 2 oct. + sept. + iamb. oct. Eun. 216, 643, 654, Phorm. 153, 730;

oct. + sept. + iamb. oct. Andr. 301, 307, Haut. 574, Eun. 615, Ad. 517, 525, 617.

aut clausula trochaica iambico octonario continuata:

3 oct. + dim. troch. + iamb. oct. Ad. 155; oct. + dim. troch. + iamb. oct. Hec. 519.

Huc accedunt duo exempla, in quibus iambicis octonariis etiam clausulae subiciuntur iambicae:

2 oct. + sept. + iamb. oct. + clausula Haut. 562; oct. + sept. + 2 iamb. oct. + clausula + iamb. oct. Phorm. 179.

et unum exemplum, Eun. 207, quod hunc ordinem instituit versuum: tr. oct. + tr. sept. + dim. iambicus.

Quae cum ita sint, manifestum est apud Terentium trochaicos octonarios, quamquam versuum officio funguntur, tamen numeri continuitate cum versibus sequentibus in systematis modum cohaerere. Huc accedit, quod, ubicumque diaeresin deprehendimus, quartus pes purum trochaeum efficiat necesse est; qua re primum colon proprio iure maxime utitur, praesertim cum Terentius, scilicet rarissime, in primi coli fine hiatum et syllabam ancipitem et frequentius eas verborum formas admittat, quas saepissime in iambicis versuum finibus reperimus (siet, laudarier).[1]) Itaque ab altera parte, apud poetam Romanum, trochaici octonarii de versuum officio declinant propterea, quod in binos dimetros dissecti cum versibus sequentibus coniunguntur more systematum, cum ab altera parte, in systematibus Graecorum, multis locis severae systematum leges laedantur et bina cola aut adeo terna versuum instar copulentur. Quocirca verisimillimum est Terentium pro systematibus trochaicis fabularum, quibus exemplis usus est, octonarios trochaicos cum septenariis coniunctos substituisse.

Sed quoniam numeri continuationem in fabulis Terentianis cognovimus, videamus nunc, quomodo omnino versus canticorum inter se varientur et quae leges sint compositionis.[2]) Ubi

---

[1]) Conradt, *Hermes* X 101 sqq. Engelbrecht, *Wiener Stud.* VI (1884) p. 216 sqq.

[2]) Leo, *Deutsche Litt. Zeit.* 1882 p. 932. Schlee, De versuum in canticis Terentianis consecutione. Diss. Berol. 1879.

prima est lex illa, quam supra commemoravimus, Bentleiana, ut trochaici octonarii usque quaque trochaico numero excipiantur. Aliter autem iudicandum est de Bentleii sententia, versui trochaico inter iambicos locum non esse (ad Haut. I 2, 13, Andr. I 2, 11) et vice versa (Phorm. III 2, 11). Nam in canticis mutatis modis temperatis iusto iure versus diversi rhythmi variantur, ut Hermannus elem. doctr. metr. p. 162 rectissime adserit dicens: *Incredibilem difficultatem obiicit mutatio numeri. Nam cum in quibusdam scenis constanter eundem versum repeti videmus, in aliis ita confusi sunt versus trochaici atque iambici, ut libidinem potius atque temeritatem, quam consilium legemque te putes deprehendere.*

Idem vero Hermannus cum in quaestione numeri continuationis ad finem certum non pervenerit deficiente inprimis accuratiore codicum notitia, nostra aetate et Bornius[3]) et Conradtius aliquantum profecerunt; alter statuens, ubi senarius immisceretur diversi numeri versibus, aut antecedere ibi aut subsequi septenarium trochaicum; alter eo, quod diversas leges esse continuatorum et variatorum versuum recte agnovit.

Atque etiam aliae leges dispici possunt versuum in canticis consecutione attente examinata. Nam apparet diversi rhythmi versus Terentium non temere ac fortuito permiscere. Immo, ubicumque ab altero numeri genere ad alterum transitur, transitus certa indicia conspiciuntur. Comitantur enim perpaucis locis exceptis rhythmi mutationem:

1. continuatio numeri et personae mutatio:

Exempli gratia conferas Andr. 179 sq.

2 Át nunc faciet, néque, ut opinor, síne tuo magnó malo.
2 Id vóluit, nos sic nécopinantis dúci falso gaúdio.

Haut. 1016 sq.

Égon confitear meúm non esse filium, qui sít meus?
2 Quid? métuis ne non, quóm velis, convíncas esse illúm tuom?

Andr. 251 sq., Haut. 180 sq., 570 sq., Eun. 655 sq., 749 sq., Phorm. 190 sq., 470 sq., 489 sq., 501 sq., 732 sq., Hec. 610 sq., 849 sq., Ad. 304 sq.

---

[3]) De diverbii apud Terentium versibus. Magdeburg 1868.

2. continuatio numeri et clausula in exitu prioris rhythmi generis:

Hec. 520 sq.

Quód si rescierít peperisse eam, íd qua causa clám me habuisse Dícam, non edepól scio.
Sed óstium concrépuit. credo ipsum éxire ad me: núlla sum.

Ad. 158 sq.

Quíd respectas? níl periclist: númquam, dum ego adero, híc te tanget.
ƨ Égo istam invitis ómnibus!
ƨ Quamquámst scelestus, nón committet hódie umquam iterum ut vápulet.

Quo loco etiam personae mutatio inducitur.

3. continuatio numeri sola:

Andr. 260 sq.

Tót me impediunt cúrae, quae meum ánimum divorsaé trahunt:
Amor, mísericordia húius, nuptiárum sollicitátio.

Eun. 218 sq.

Pérpeti, ne rédeam interea? ƨ Téne? non hercle árbitror;
Nam aut iám revortere, aút mox noctu te ádiget horsum insómnia.

Andr. 242 sq., 302 sq., Haut. 564 sq., 575 sq. 584 sq., Eun. 208 sq., 211 sq. 214 sq., 305 sq., 550 sq., 557 sq., 616 sq., 621 sq., 645 sq., 649 sq., Phorm. 159 sq., 180 sq., 185 sq., 482 sq., 741 sq., Hec. 543 sq., 620 sq., 852 sq., Ad 169 sq., 288 sq., 293 sq., 309 sq., 518 sq., 526 sq.

4. personae mutatio et clausula:

Andr. 240 sq.

Praescísse me ante? nónne prius commúnicatum opórtuit?
ƨ Miserám me, quod verbum aúdio!
ƨ Quíd? Chremes, qui dénegarat sé commissurúm mihi.

Eun. 213 sq.

Ne istúc tam iniquo pátiare animo. ƨ Mínume: quin factúm dabo.
Sed númquid aliud ímperas?
ƨ Múnus nostrum ornáto verbis, quód poteris, et istum aémulum.

Eun. 215 sq., Hec. 612 sq.

5. personae mutatio sola:

Andr. 304 sq.

Ita, póstquam adempta spés est, lassus cúra confectús stupet.
2 Quaéso edepol, Charíne, quoniam nón potest id fieri quod vis.

Eun. 648 sq.

Ut ego únguibus facile ílli in oculos ínvolem venéfico!
2 Néscio quid profécto absente nóbis turbatúmst domi.

Andr. 316 sq., Haut. 571 sq., 578 sq., 1012 sq., Eun. 750 sq., Phorm. 184 sq., 478 sq., 483 sq., 486 sq., 492 sq. 496 sq., 734 sq., Hec. 521 sq., Ad. 159 sq., 294 sq.

6. clausula sola:

Andr. 244 sq.

Itan óbstinate operám dat, ut me a Glýcerio miserum ábstrahat?
Quod sí fit pereo fúnditus.
Ádeon hominem esse ínvenustum aut ínfelicem quémquam, ut ego sum!

Haut. 566 sq.

Facis ádeo indigne iniúriam illi, quí non abstineás manum.
Nam istaéc quidem contuméliast,
Hóminem amicum récipere ad te atque eíus amicam súbigitare.

Eun. 209 sq., Hec. 850 sq.

7. gravius aliquid discrimen in ipsa fabulae actione et sermonis colore positum:

Eun. 303 sq.

Meque ádeo, qui restíterim; tum autem qui íllum flocci fécerim.
Séd eccum Parmenónem. salve. 2 Quíd tu es tristis? quídve es alacris?

Versu 304 Parmeno a domino iuvenili conspectus appellatur; quo fit, ut hoc loco novam sententiarum partem induci appareat.

Similiter res se habet in vers. 297 sq.

Taedét cottidiánarum harum fórmarum. 2 Ecce autem álterum!
Néscio quid de amóre loquitur: o ínfortunatúm senem!

Nam inde a versu 298 Parmeno malam suspicionem incipit proferre.

Ad. 302 sq.

Tot rés repente círcumvallant se, únde emergi nón potest:
Vís egestas íniustitia sólitudo infámia.

Quo loco propter enumerationem rhythmum mutari patet.

Haut. 186 sq.

Ut hánc laetitiam nécopinanti prímus obicerem eí domi!
Átque etiam nunc témpus est. ƨ Cave fáxis: non opus ést, pater.

Versu 187, qui ordinem sex octonariorum iamb. excipiens canticum finit, Chremes a filio in vicini domum intrare prohibetur.

Consimilis ratio est versuum Eun. 223 sq.

Tandém non ego illam cáream, si sit ópus, vel totum tríduom? ƨ Hui,
Únivorsum tríduom? vide quíd agas. ƨ Stat senténtia,

cum etiam troch. septenarius 224, quinque iamb. octonarios subsequens, canticum claudat.

Eun. 653 sq.

ƨ Rogás me? eunuchum quém dedisti nóbis quas turbás dedit!
Quám erae don odéderat miles, vírginem vitiávit. ƨ Quid ais?

Versu 654 numerus mutatus videtur esse ideo, quod hic primum a Pythiade factum ipsum narratur.

Phorm. 186 sq.

Loquárne? incendam; táceam? instigem; púrgem me? laterém lavem.
Heú me miserum! quóm mihi paveo, tum Ántipho me excrúciat animi.

Etiam hic numeri mutatio cur fiat facile intellegitur. Nam versu 187 Geta animum intendit in dominum Antiphonem, cum adhuc de sua sorte infelici verba fecerit.

Phorm. 156 sq.

ƨ Quid istúc est? ƨ Rogitas, quí tam audacis fácinoris mihi cónsciu's?
Quód utinam ne Phórmioni id suádere in mentem íncidisset.

Versu 157 poeta numerum trochaicum videtur induxisse,

ut Phaedriae verba graviter pronuntiata clarius a praecedentibus seiungantur, similiter atque in Eunuchi versu 210: Utinam tam aliquid invenire facile possis, Phaedria.

Restant quinque loci, quibus in numero mutato poetae consilium nequit intellegi: Andr. 177 sq., 181 sq., Eun. 617 sq., Ad. 291 sq., 522 sq. Sed hoc vere licet dicere prius numeri genus usque quaque interpunctione claudi, numquam sententiam mediam interrumpi numeri mutatione.

II.

De clausulis.

Versus periodusve aut ex uno constat membro ob eamque causam μονόκωλος appellatur aut habet membra complura, quae pro loco nomina accipiunt. Nam in versu duorum membrorum discernitur inter κῶλον ἀριστερόν et κῶλον δεξιόν (Mar. Victor. p. 108, 19. 24. Plot. Sacerd. p. 515), cum Marius Victorinus p. 74, 8 hexametri membra dividat in κῶλα ἀρκτικά, τελικά, κοινά: *Heroici versus hexametri cola seu commata alia sunt, ut Graeci dicunt, ἀρκτικά, alia τελικά, alia κοινά, e quis alia initiis, alia clausulis versuum conexa respondent, quas partiunculas, si necesse sit, ausim dicere initiales et finales seu novissimales, communes autem, quae et initio et fini sociatae congruunt.* Vox clausulae vero quamquam nihil aliud latine reddit nisi illud τελικόν, tamen apud grammaticos Romanos communiter coli minusculi seorsim positi notione usurpatur, qua de re Varro apud Rufinum p. 557, 13 docet haec: *Clausulas quoque primum appellatas dicunt, quod clauderent sententiam, ut apud Accium „an haec iam obliti sunt Phryges?". nonnumquam ab his initium fit, ut apud Caecilium „di boni, quid hoc?", apud Terentium „discrucior animi".* Sed κῶλα ἀρκτικά et τελικά, quae versus longiores aut praecedentia aut insequentia proprio iure utuntur, appellantur etiam προῳδικά et ἐπῳδικά et semper artissime cum sententiae structura cohaerent, ut maxime perspici potest ex Mario Victorino p. 163, 11: *Nam quotiens maioribus metris minus aliquid subnectitur, epodos dicitur. quotiens vero comma vel colon integro metro praeponitur, proodicon appellatur. etenim, quemadmodum supra ostendimus epodo sententiam claudi, ita in his manifestum est, suspensam teneri.* Quam sententiam repetens p. 176, 21 metricus addit: *Id est, ni subsequens metrum adiungatur, sensum claudicare.* Clausularum

autem genera, quae possint usurpari, a Victorino tractantur p. 79, 1: *Quod vero ad clausulas, id est minuscula cola, pertinet, quot genera versuum sunt, totidem eorum membra pro clausulis poni possunt, et solent in canticis magis quam diverbiis, quae ex trimetro magis subsistunt, collocari, et praecipue apud Plautum et Naevium et Afranium. nam hi maxime ex omnibus membris versuum velut colis ab his separatis licenter usi reperiuntur in clausulis.* Numerus vero membrorum, quae a Terentio ad clausulas efficiendas adhibita sunt, ut omnino Terentius a Plauti re metrica abhorret et ad formas redit simpliciores, haud magnus est. Omnium maxime inveniuntur cola iambica et ex his frequentissimi sunt dimetri acatalecti ⏑—⏑—⏑—⏑—, cum trimetrum acatalectum rarius, dimetrum catalecticum ⏑—⏑—⏑—⏑̲ non nisi semel post quattuor tetrametros bacchiacos legamus. In numero autem trochaico frequentior est dimeter catalecticus —⏑—⏑—⏑̲ monometro catalectico —⏑—, qui duobus locis exstat clausula praecedens, ut illud quoque colon dactylicum —⏑⏑—⏑⏑— Ad. 610.

Quarum modo feci mentionem clausularum, eas Terentius hac lege admiscet canticis, ut usque quaque cum longis versibus coniungantur continuitate metri. Itaque et cum versu sequente cohaerent, si initium faciunt cantici, et cum versu antecedente, si canticum claudunt; medio autem in cantico aut versui priori aut versibus et posteriori et priori continuantur.

Sed Conradtius docet de clausulis, dimetros et trimetros sequentes et cola antecedentia —⏑— ita usurpari, ut neque canticum totum neque cantici partes finiant, sed non nisi longorum versuum additamenta putanda sint. Verum Meissnerus sibi persuasit clausulis locum non esse nisi post primum vel ultimum ordinis stichici versum aut post singulos versus versibus diversi rhythmi interpositos; quibus legibus addit eam, ut ne in una quidem clausula personarum mutatio admittatur. Quas ad opiniones defendendas uterque vir doctus et hic et alias, prout res ferebat, codicum mutavit lectionem.

Iam quaeritur, quomodo clausulae ab altero genere versuum aut rhythmorum transducant ad alterum.

I. Iidem versus (iamb. oct., troch. oct., troch. sept.) clausulam et praecedunt et sequuntur:

1. Andr. 176.

iamb. oct. ƨMirábar, hoc si síc abiret, ét eri semper lénitas
iamb. dim. Verébar quorsum eváderet.
iamb. oct. Qui póstquam audierat nón datum iri fílio uxorém suo.

2. Haut. 1004.

iamb. oct. ƨProfécto nisi cavés tu homo, aliquid gnáto conficiés mali;
iamb. dim. Idque ádeo miror, quó modo
iamb. oct. Tam inéptum quicquam tíbi venire in méntem, mi vir, pótuerit.

3. Eun. 647.

iamb. oct. Vestem ómnem miserae díscidit, tum ipsám capillo cónscidit.
iamb. dim. ƨHem. ƨQuí nunc si detúr mihi,
iamb. oct. Ut ego únguibus facile ílli in oculos ínvolem venéfico!

4. Eun. 652.

iamb. oct. ƨEhem Phaédria, ego quem quaéram? in' hinc quo dígnu's cum donís tuis
iamb. dim. Tam lépidis? ƨQuid istuc ést rei?
iamb. oct. ƨRogás me? eunuchum quém dedisti nóbis quas turbás dedit!

Cum plerique libri manuscripti versus 651—52 eodem modo dividant ac nos, versus 652 in codice A incipit a *tuis*, in P a *quo*. Conradtius autem scribit haec (p. 161 sqq.):

ƨEhem Phaédria, ego quem quaéram? abi hinc
Quó dignu's cum dónis tuis tam lépidis. ƨQuid istuc ést rei?

ut mihi quidem videtur, non probabiliter propterea, quod hoc loco unus codex — nam codicis A divisione servata versus nullus evadit — omnibus ceteris adversatur. Qua de causa huic emendationi omnem auctoritatem derogemus et lectionem traditam teneamus necesse est. Etiam Meissneri (p. 525) coniectura reicienda mihi videtur esse, cum scribere velit:

Tám lepidis? ƨQuid istúc est rei? ƨRo- ‖ gás me? eunuchum quém dedisti
Nóbis quas turbás dedit,

trochaicum efficiens octonarium, qui claudicat deficiente caesura.

5. Eun. 658.

iamb. oct. ƨInsánis: qui istuc fácere eunuchus pótuit? ƨEgo illum néscio
iamb. trim. Qui fúerit; hoc quod fécit, res ipsa índicat.
iamb. oct. Virgo ípsa lacrumat néque, quom rogites, quíd sit audet dícere.

6. Phorm. 163.

iamb. oct. ƨAliís quia defit quód amant aegrest; tíbi quia superést dolet:
iamb. dim. Amóre abundas, Ántipho.
iamb. oct. Nam túa quidem hercle cérto vita haec éxpetenda optándaque est.

7. Phorm. 183.

iamb. oct. Nam nón potest celári nostra díutius iam audácia.
iamb. dim. ƨQuid íllic commotús venit?
iamb. oct. ƨTum témporis mihi púnctum ad hanc rem est: érus adest. ƨQuid illúc malist?

8. Andr. 246.

troch. oct. Ádeon hominem esse ínvenustum aut ínfelicem quémquam, ut ego sum!
troch. dim. Pró deum atque hominúm fidem!
troch. oct. Núllon ego Chremétis pacto adfínitatem effúgere potero?

9. Eun. 747.

troch. oct. Réddere ac restítụere, haec atque huíus modi sum múlta passa.
troch. dim. ƨŬbi east? ƨDomi apud me. ƨHém. ƨQuid est?
troch. oct. Educta ita uti téque illaque dígnumst. ƨQuid ais? ƨÍd quod res est.

In codicum memoria hic nihil est offensionis. Sed cum intra dimetrum triplex occurrat personarum mutatio, quam in clausulis inveniri Meissnerus negat, ab eo hoc colon tollitur

(p. 518 sqq.) ita, ut sequentis versus verba *educta ita uti teque illaque dignumst* clausula eadiungat et verba *quid ais? ƨ Id quod res est* extinguat, hoc quoque loco efficiens trochaicum octonarium caesura destitutum:

Úbi east? ƨ Domi apud me. ƨ Hém. ƨ Quid est? educ- ‖ ta íta uti teque illáque dignumst.

10. Phorm. 729.

troch. oct. ƨ Quíd agam? quem mi amícum inveniam mísera? aut quo consilia haec referam?
troch. dim. Aút unde auxiliúm petam?
troch. oct. Nám vereor, era ne ób meum suasum indígna iniuria ádficiatur.

11. Ad. 524.

Versus 523—24, qui in codicibus F P unum explent versum, ut in codice A inveniuntur, scribimus:

troch. oct. Et illud rus nulla ália causa tám male odi, nísi quia propest:
troch. dim. Quód si abesset lóngius,
troch. oct. Príus nox oppressísset illi eum, quam húc revorti pósset iterum,

cum de partitione libri manuscripti optimi decedendi rationes probabiles non afferantur (Conradt p. 110 sq.).

12. Eun. 209.

troch. sept. ƨ Fíet. ƨ At matúre. ƨ Fiet. ƨ Sátine hoc mandatúmst tibi? ƨ Ah,
iamb. dim. Rogitáre, quasi difficile sit!
troch. sept. Útinam tam aliquid ínvenire fácile possis, Phaédria.

13. Hec. 850.

troch. sept. Égone te pro hoc núntio quid dónem? quid? quid? néscio.
iamb. dim. ƨ At égo scio. ƨ Quid? ƨ Níl enim;
troch. sept. Nám neque in nuntió neque in me ipso tíbi boni quid sít scio.

Quo loco non video, quid versum dimetiendi ratio trochaica in Dziatzkonis editione (Lipsiae 1884) sibi velit, cum et

Bentleius et Conradtius (p. 18 sq.) numerum restituerint rectissime. Nam quis est, qui dubitet, quin apud Terentium secundum numeri continuationis legem clausula iambica septenarium trochaicum excipere debeat?

II. Utroque clausulae latere eiusdem rhythmi versus occurrunt formae diversae (troch. oct. — troch. sept., troch. sept. — troch. oct.):

14. Haut. 178.

troch. oct. Proín tu sollicitúdinem istam fálsam, quae te excrúciat, mittas.

troch. dim. ʒQuícum loquitur fílius?

troch. sept. ʒPáter adest, quem vólui: adibo páter, opportune ádvenis.

15. Eun. 215.

troch. sept. ʒMúnus nostrum ornáto verbis, quód poteris, et istum aémulum,

iamb. dim. Quod póteris, ab ea péllito.

troch. oct. ʒMémini, tam etsi núllus moneas. ʒÉgo rus ibo atque íbi manebo.

III. Clausulam trochaei praecedunt, iambi sequuntur et vice versa (iamb. oct. — troch. oct., troch. oct., — iamb. oct., iamb. oct. — troch. sept., troch. sept. — iamb. oct., troch. sept. — iamb. sept.):

16. Andr. 244.

iamb. oct. Itan óbstinate operám dat, ut me a Glýcerio miserum ábstrahat?

iamb. dim. Quod sí fit, pereo fúnditus.

troch. oct. Ádeon hominem esse ínvenustum aut ínfelicem quémquam, ut ego sum!

17. Haut. 566.

iamb. oct. Facis ádeo indigne iniúriam illi, quí non abstineás manum.

iamb. dim. Nam istaéc quidem contuméliast,

troch. oct. Hóminem amicum récipere ad te atque éius amicam súbigitare.

18. Hec. 612.

iamb. oct. ʒSperó mecastor. ʒÍ ergo intro et compóne quae
tecúm simul

iamb. trim. Ferántur: dixi. ʒIta út iubes faciám. ʒPater.

troch. oct. ʒQuíd vis, Pamphile? ʒHínc abire mátrem? minume.
ʒQuíd ita tu istuc?

19. Hec. 520.

troch. oct. Quód si rescierít peperisse eam, íd qua causa
clám me habuisse

troch. dim. Dícam, non edepól scio.

iamb. oct. Sed óstium concrépuit. credo ipsum éxire ad me:
núlla sum.

Etiam hic Conradtius (p. 181) codicum neglexit scripturam, ut ipse confitetur, nulla alia ductus ratione nisi ut lectionem traditam legi ab ipso constitutae parere cogat. In codice A enim versus 520 exstat trochaicus dimeter catalecticus, versus 521 iambicus octonarius. Quamquam vero codex P clausulae verba *dicam, non edepol* antecedenti versui tribuit, *scio* sequenti, tamen librum, qui optimus est, manuscriptum sequamur necesse est propterea, quod haec codicis P partitio iustos non praebet versus. Conradtius autem mutat scribens:

Dícam, non edepól scio. sed óstium concrépuit. credo
Ípsum exire: núlla sum,

qua in mutatione coactus est *ad me* delere, quae verba et in omnibus exstant codicibus et confirmantur loco Plauti Bacch. 794: *Mane dum parumper; iam exeo ad te, Chrysale.*

20. Ad. 158.

troch. oct. Quíd respectas? níl periclist: númquam, dum ego
adero, híc te tanget.

troch. dim. ʒÉgo istam invitis ómnibus . .!

iamb. oct. ʒQuamquámst scelestus, nón committet hódie um-
quam iterum ut vápulet.

In codicibus versus 158 sq. disponuntur in trochaicum dimetrum catalecticum et iambicum octonarium; atque praeter duas varias lectiones, quae parvi sunt momenti, versus omni vacant difficultate. Sed Conradtius verba versus 159 *quam-*

quam usque ad *committet* tribuit versui antecedenti atque hoc modo sibi comparat trochaicum octonarium et trochaicum dimetrum catalecticum, ipse confessus se metri tantum causa mutasse. Quae mutatio, quamquam per se ferri potest, tamen non probatur eo, quod versus caesura caret (p. 176):

2 Ego istam invitis ómnibus. 2 Quam- ‖ quámst scelestus nón
committet.

Etiam Meissnerus clausulam expungere conatus ad irritum cecidit. Nam verbis *numquam, dum adero, hic te tanget* deletis, quae verba, praeterquam quod illa *hic te tanget* in codice D non exstant, nullam praebent offensionem, scripsit trochaicum septenarium (p. 540):

Quíd respectas? níl periclist. 2 Égo istam invitis ómnibus.

21. Andr. 240.

iamb. oct. Praescísse me ante? nónne prius commúnicatum
opórtuit?
iamb. dim. 2 Miserám me, quod verbum aúdio!
troch. sept. 2 Quíd? Chremes, qui dénegarat sé commissurúm
mihi.

22. Haut. 590.

iamb. oct.
iamb. dim.
troch. sept. Cénsen vero? quíd illum porro crédas facturúm,
Chremes.

Versus 589 sq. traduntur in codicibus corrupti. Codex A enim praebet *di te eradicent, Syre, qui me hinc extrudis.* 2 *At tu pol tibi istas Posthac comprimito manus,* cum in omnibus reliquis libris manuscriptis illud *pol* non inveniatur. Qui primus emendavit, Bentleius, scripsit trimetros iambicos:

2 Di te éradicent, quí me hinc extrudís, Syre!
2 At tú pol tibi istas pósthac comprimitó manus;

sed falso, quia clausulae apud Terentium non nisi singulae occurrunt. Qua de causa et Umpfenbachius correxit et Conradtius, alter efficiens trochaicum octonarium sequente dimetro trochaico catalectico:

2 Dí te eradicént, Syre, qui me hinc éxtrudis. 2 At tú tibi istas
Pósthac comprimitó manus.

Sed ne hoc quidem modo versus magna vacant offensione; primum eo, quod *pol* codicis A plane neglectum est, deinde propter accentum *éxtrudís* et productionem illegitimam syllabae ultimae vocis *extrudis*. Nec magis probabilis Conradti coniectura (p. 104—106) mihi videtur esse:

2 Di te éradicant, Sýre, qui me hinc extrúdis. 2 At tu pól tibi
Tuas pósthac comprimitó manus;

cum codicum *istas* in *tuas* mutare coactus sit. Atque ego quidem non alia putaverim opus esse mutatione, nisi transpositione:

2 Di te éradicent, Sýre, qui me hinc extrúdis. 2 At tu pól tibi
Posthác comprimito istás manus,

scribens iambicum octonarium et iambicum dimetrum acatalectum.

23. Eun. 213.

iamb. oct. Ne istúc tam iniquo pátiare animo. 2 Mínume: quin factúm dabo.
iamb. dim. Sed núm quid aliud ímperas?
troch. sept. 2 Múnus nostrum ornáto verbis, quód poteris, et istum aémulum.

24. Ad. 317.

iamb. oct. Sublímen medium arríperem et capite prónum in terra státuerem,
iamb. dim. Ut cérebro dispergát viam.
troch. sept. Ádulescenti ipsi ériperem oculos, póst haec praecipitém darem.

25. Andr. 252.

troch. sept. Ítur ad me. 2 Orátio haec me míseram exanimavít metu.
iamb. dim. 2 Nam quíd ego dicam dé patre? ah,
iamb. oct. Tantámne rem tam néclegenter ágere! praeteriéns modo.

26. Eun. 306.

troch. sept. Únde is? 2 Egone? néscio hercle, néque unde eam neque quórsum eam:

iamb. dim. Ita prórsum oblitus súm mei.
iamb. oct. 2Qui quaéso? 2Amo. 2Hem. 2Nunc, Pármeno, te osténderis qui vír sies.

27. Phorm. 191.

troch. sept. Áliquid convasássem atque hinc me cónicerem protinam ín pedes..
iamb. dim. 2Quam nam híc fugam aut furtúm parat?
iamb. oct. 2Sed ubi Ántiphonem réperiam? aut qua quaérere insistám via?

Quo loco de Meissneri emendatione, qui iterum, ut ipse dicit p. 521, clausulam delere cogitur, quamquam in codicum divisione mendum non haeret, nihil necesse est mihi dicere.

28. Phorm. 490.

troch. sept. 2Nón queo te exoráre ut maneas tríduom hoc? quo núnc abis?
iamb. trim. 2Mirábar si tu míhi quicquam adferrés novi. 2Ei,
iamb. sept. Metuó lenonem né quid .. 2Suo suát capiti? idem ego véreor.

29. Hec. 621.

troch. sept. É medio aequom excédere est: postrémo nos iam fábula
iamb. dim. Sumus, Pámphile, „senex átque anus".
iamb. sept. Sed vídeo Phidippum égredi per témpus: accedámus.

30. Andr. 485.

bacch. tetram. Quod iússi ei darí bibere et quántum imperávi,
iamb. dim. cat. Date; móx ego huc revórtor.
iamb. trim. Per ecástor scitus púer est natus Pámphilo.

Cantici 481—85 finem a stichicis versibus recte seiungere difficile est (Conradt p. 205), quia versibus et 488 et 485 sententiarum ordinem finiri videmus. Sed cum cantico usque ad v. 488 protracto versus 485, 486 duas clausulas efficerent iuxta positas (nam senarius intra cantici fines poni non potest nisi clausulae vice fungens), quod fieri non potest, post versum 485 canticum claudere oportet, praesertim cum hic sententiae caesura gravior cognoscatur.

31. Andr. 636.

duo hypodochmii Quís tu's? quis mihi es? quór meam tibi.
iamb. dim. Heus, próxumus sum egomét mihi.
bacch. tetram. At támen „ubi fidés?" si rogés, nil pudént hic.

Versus 635 nullo modo dimeter iambicus:

Quis tú's? quis mí's? quor meám tibí?

legi potest — ita enim iterum clausulam post clausulam haberemus — sed constat duobus hypodochmiis, qui apud comicos Romanos saepissime creticis versibus admixti reperiuntur. Exempli gratia conferas Plauti Bacch. 643; Most. 315; Pseud. 1293, 1302.

Huc accedunt tria membra, quae in initio exstant et cantici et scaenae:

32. Eun. 292.

iamb. sept. Non témerest; et properáns venit: nescío quid circumspéctat.
troch. mon. ꝛ Óccidi!
iamb. oct. Neque vírgost usquam néque ego, qui illam a cónspectu amisí meo.

33. Phorm. 485.

troch. sept. ꝛ Phaédria tibi adést. ꝛ Ubi nam? ꝛ Eccum ab suá palaestra exít foras.
troch. mon. ꝛ Dório,
iamb. oct. Audi óbsecro. ꝛ Non áudio. ꝛ Parúmper. ꝛ Quin omítte me.

34. Ad. 610.

iamb. oct. ꝛ Et récte et verum dícis. ꝛ Sequere me érgo hac intro. ꝛ Máxume.
colon dact. Díscruciór animí:
Reizianus. Hocíne de inprovisó mali mihi obíci tantum.

Cf. Fr. Leo, *Die Plaut. Cantica* p. 45 sq.

Itaque quomodo clausulae ab altero rhythmi genere ad alterum transducant, examinavimus et sedecim cum versu priore, quindecim cum versibus et posteriore et priore numero continuo coniunctas esse vidimus. Restat, ut ad sententiarum ordinem animum attendamus. Nam locis ambiguis controversia, utrum

clausula cum priore an cum posteriore versu cohaereat, id est utrum initialis an finalis sit appellanda, solo sensu examinato diiudicari potest.

I. Clausulae initiales.

1. Eun. 292: Occidi!

Quo in cantico non praetermittam versus 299—301, in quibus maxime est offendendum. Neque enim versus a Bentleio restituti probari possunt:

dim. iamb. Hic vérost, qui si occéperit,
trim. iamb. Ludúm iocumque dícet fuisse illum álterum,
dim. iamb. Praeut húius rabies, quaé dabit.

Etenim, cum senarius in canticis Terentianis clausulae vice fungatur, tres clausulas aliam post aliam haberemus, id quod est contra naturam atque usum colorum.

2. Phorm. 485: Dorio.

3. Ad. 610: Discrucior animí.

4. Andr. 252.

Nam quíd ego dicam dé patre? ah,
Tantámne rem tam néclegenter ágere! ...

Post pavidam Mysidis exclamationem *Oratio haec me miseram exanimavit metu* Pamphilus iterum ad patrem redit *Nam quid ego dicam de patre? ah,* quibus verbis ad novam traducimur partem sententiarum. Iam quaeritur, quam in classem hanc clausulam referamus, utrum cum priore an cum versu posteriore iungenda sit. Sed cum alteram copulationem nihil suadeat nisi numerus perpetuus, ab altera parte causae magnae gravesque praevalent. Nam haec clausula non minus cum versu sequente numero utitur continuo et non solum cum posterioris versus sententia arte cohaeret, sed etiam in initio exstat ordinis sententiarum, qua de causa dimeter uno tenore cum versu antecedente recitari nequit. Huc accedit subita metrorum mutatio: longum enim versuum trochaicorum ordinem iambicus excipit numerus usque ad versus 254sq., quos pedibus iambicis metiamur, quamquam etiam trochaici septenarii legi possunt (Conradt p. 173). Itaque apud Terentium praeter illas tres

clausulas initiales ab omnibus probatas eae agnoscendae mihi videntur esse, quae medio exstant in cantico.

5. Haut. 566.

Nam istaéc quidem contuméliast,
Hóminem amicum récipere ad te atque éius amicam súbigitare.

Chremes filio temerario levique exprobrat, quod manum ingesserit in sinum meretricis amici definiteque hoc factum contumeliam dicit versibus 562—67, quibus prima pars sententiarum terminatur, Chremete in sequentibus versibus de factis diei hesterni loquente. Quo in cantico clausula 566 sine dubio cum versu sequente coniungenda est, quamquam versus numero perpetuo non continuantur. Id vero eo magis intellegitur, quod versus 565—66 uno tenore recitari non possunt, cum versus 566—67 unam efficiant sententiam et versus 565 interpunctione gravi separetur. Sequitur primum quidem, ut clausulae initiales utantur proprio iure, deinde ut hoc loco dimeter ultimo sententiarum ordinis antecedat versui.

6. Eun. 647.

ƧHem. ƧQuí nunc si detúr mihi,
Ut ego únguibus facile ílli in oculos ínvolem venéfico!

Eunuchus, qui putatur, cum virginem vitiaverit, maxime irata Pythias ex Thaidis domo in scaenam procedit et Phaedria nondum conspecto verba facit usque ad versum 648, quocum clausula 647 copulata est. Atque eo magis hoc ut credam adducor, quod non solum verborum et sententiae, sed etiam numeri continuatio patet. Ergo hic quoque dimeter ultimo ordinis sententiarum versui praemissus est.

7. Phorm. 490.

Mirábar si tu míhi quicquam adferrés novi. ƧEi,
Metuó lenonem né quid .....

Hoc in carmine 485—503, quod ex membro *Dorio* facit initium, Phaedria Dorioni, ut preces suas audiat, persuadere conatur, cum ille promissa respuens abiturus sit, usque ad versum 491. Quo cum versu trimetrum iambicum 490 et

propter verborum conexum et propter numeros continuatos cohaerere puto et agnosco hic quoque clausulam ante ultimum sententiae versum positam.

8. Ad. 158.

Égo istam invitis ómnibus . . !
2 Quamquámst scelestus, nón committet hódie umquam iterum ut vápulet.

Amicam fratris lenoni vi ereptam Aeschinus in domum suam traducit, cum leno clamore insectetur usque ad versum 159, qui primam partem terminat. Nam in versibus sequentibus Sannio iterum iuvenem ab incepto abducere conatur; unde sequitur clausulam ultimum ordinis (155—59) versum praecedere. Atque etiam hic, ni fallor, clausula cum versu sequente copulanda est praeter numeri continuationem propterea, quod Aeschinus Sannionem subito interfatur eamque ob causam versus recitantur uno tenore.

9. Haut. 1004.

Idque ádeo miror, quó modo
Tam inéptum quicquam tíbi venire in méntem, mi vir, pótuerit.

Chremes ut de consilio filium hereditate excludendi desistat, a muliere impellitur. Quo in carmine, quamquam versu 1003 finis integrae sententiae partis non existit, tamen mea quidem sententia dimetrum cum versu sequente copulare necesse est, quia et numerus continuus et verborum conexus hoc postulant. Itaque Terentius clausula hac ad perturbationem concitationemque animi describendam utitur.

10. Ad. 524.

Quód si abesset lóngius,
Príus nox oppressísset illi eum, quam húc revorti pósset iterum.

Ctesipho, quod patrem audivit ad villam se contulisse, et gaudet et idem, ne ille mox redeat, timore afficitur. Atque hoc loco illud quidem perspicuum est, clausulam 524, quam adversus numerum verborum continuationis causa versui posteriori

annectam, exstare, quo loco primum definite de patris reditu verba fiunt.

II. Clausulae finales.

1. Eun. 306.

. . . néscio hercle, néque unde eam neque quórsum eam:
Ita prórsum oblitus súm mei.

2. Phorm. 163.

Antiphonem culpam professum versibus 153—61 Phaedria primum quidem vehementius insectatur usque ad clausulam canticum claudentem *Amóre abundas Ántipho,* cum deinde placidius verba faciat.

3. Hec. 621.

Pamphili mater rus irę se comparat marito imperante, cum subito Pamphilus patrem precibus orare conatur. Certo hic, ubi clausula apte inducitur, primam cantici partem claudi agnoscemus: *Feråntur: dixi.* ꝛ *Ita út iubes faciám.* ꝛ *Pater.* Nam deinde Pamphilus matrem omni modo retinere studet usque ad versum 617, inde a quo versu filio, quod orat, a patre denegatur atque carmen totum optime clausula *Sumus, Pámphile, „senex átque anus“* concluditur.

4. Andr. 485; cf. p. 30 n. 30.

Quod iússi ei darí bibere, et quántum imperávi.
Date; móx ego huc revórtor.

5. Haut. 590; cf. p. 28 n. 22.

ꝛ Di te éradicent, Sýre, qui me hinc extrúdis. ꝛ At tu pól tibi
Posthác comprimito istás manus!

6 et 7. Andr. 240 et 244.

Modo Pamphilus, qui patri in foro occurrit, domum ire et nuptias cum Chremetis filia facere iussus est. Itaque magna cum desperatione prodit et in patrem iram effundit versibus 236—39. Praeclare hic sententiarum finimus partem, quae ab insequente bene segregatur clausula *Miserám me, quod verbum aúdio!* Tum vero Pamphilus ad Chremetem se convertens eum verbis castigat versibus 241—44, quae pars et ipsa membro finali graviter terminata est: *Quod sí fit, pereo fúnditus!*

8. Haut. 178.

Clinia cum anxius ac sollicitus, quod amata nondum adest, in domo versetur, Clitipho amicum omni modo consolari studet versibus 175—77, quos dimeter patris trochaicus *Quícum loquitur fílius?* claudit ita, ut hoc quoque loco clausulam sententiarum partem cum gravitate terminare manifestum sit.

9 et 10. Phorm. 183 et 191.

Geta, qui modo ad portum dominum suum conspexit redeuntem, domum properat primoque de subito queritur periculo, quos versus 179—83 Antiphonis verba *Quid íllic commotús venit?* optime terminant. Tum vero ad desperationem adductus, quid faciat, animum totum ad dominum intendit iuvenem usque ad versum canticum claudentem 191: *Quamnam híc fugam aut furtúm parat?*

11. Hec. 520.

Myrrina, quod maritus filiae infantem clam natum esse audivit, maxima perturbatione commota in scaenam procedit. Neque difficile est cognitu sententiarum partem dimetro *Dícam, non edepól scio* terminari, cum versu sequente *Sed ostium concrepuit etc.* nova sententia inducatur.

12. Hec. 612; cf. p. 35 n. 3.

. . . Í ergo intro et compóne quae tecúm simul
Ferántur: dixi. *ꝛ*Ita út iubes faciám. — *ꝛ*Pater.

13—15. Eun. 209, 213, 215.

Phaedria imperat servo, ut ancillam et eunuchum munera Thaidi perducat versibus 207—8, quos clausula 209 magna cum gravitate concludit. Tum nova insequitur sententia. Parmeno enim domino suo leniter sumptum crimini dat iterumque pollicetur se oboediturum esse; quo fit, ut iterum colon sensum claudat. Nunc vero, Phaedria denuo praecepta dante, pars incipit tertia, qua in parte sensum clausula 215 augeri et clausulam cum primo versu sententiarum partis iunctam esse appareat. Ac de membris satis dictum est; restat, ut universam huius carminis compositionem brevi

praecidamus, comparantes eam cum Andriae cantici 236—66 structura:

	Andr.		Eun.
236	iamb. oct.		
	iamb. oct.		
	iamb. oct.	207	troch. oct.
	iamb. oct.		troch. sept.
240	iamb. dim.		iamb. dim.
	troch. sept.	210	troch. sept.
	troch. sept.		troch. sept.
	iamb. oct.		iamb. oct.
	iamb. dim.		iamb. dim.
245	troch. oct.		troch. sept.
	troch. dim.	215	iamb. dim.
	etc.		etc.

Unde mira similitudo canticorum intellegitur. Etenim tres partes dilucide discernuntur, quarum media in utroque carmine iisdem constat versibus, cum in prima et altera parte clausula sententiarum ordo terminetur et in tertia dimeter primum versum excipiens huius vim augeat.

16. Andr. 176.

Davus secum loquens procedit in scaenam, ubi iam Simo adest ab eo non conspectus. Ac primum quidem in versibus 175—76, quod Simo fuerit tam lenis, miratur, deinde causam profert mirandi: nurum nempe exspectatam Simoni negatam esse. Itaque clausula 176 magni ponderis hoc loco primo versui cum cantici tum sententiarum ordinis (175—79) adiungitur et ad primam sententiam ursurpatur exaggerandam.

17. Andr. 246; cf. p. 35 n. 6, 7.

Versu 245 Pamphilus de sua sorte infelici queritur, ac primum quidem generatim summatimque, cum inde a versu 247 res adversas suas explicet accuratius. Quae cum ita sint, etiam hic clausula maxima gravitate similiter atque in cantico 175—79 adhibetur, primum versum sententiarum partis sequens et adiuvans primam sententiam.

18. Phorm. 729.

Idem usu venit in Phormionis cantico 728—67. Nam primo in versu, quem colon excipit *Aút unde auxiliúm petam,* Sophrona exprimit consilii inopiam, deinde vero illam fusius demonstrat.

19 et 20. Eun. 652 et 658.

Phaedria ignarus, quid se absente domi sit turbatum (649), procedit nec tamen primum quidem (usque ad versum 652), quamquam Pythiadem rogitando obtundit, responsum ferre optatum potest. Tum de eunucho qui putatur agitur usque ad trimetrum iambicum, qui propter numeri et verborum conexum ad versum pertinet antecedentem, cum postremo Pythias rem ipsam narret.

21. Ad. 317.

Doloris iraeque plenus Geta domum properat, cum Aeschinum fidem dominae iuvenilis violavisse audiverit. Quibus versibus clausula 317 interponitur, iambicorum octonariorum ordinem 305—16 optime determinans.

22. Eun. 747.

Thais, Chremetem non conspiciens, minas iramque in militem effundit usque ad versum 782, quo loco sermo aperte inciditur, Chremete nunc prodeunte: *Thais, ego iam dudum adsum.* Qui cum deinde Thaidem sororem diligenter educasse ipsique reddituram esse comperit, clausula ponitur ad concitationen augendam *Úbi east?* **2** *Domi apud me.* **2** *Hém.* **2** *Quid est?*

23. Hec. 850.

Pamphilo a Parmenone nuntius est allatus, qui eum omnibus laboribus liberat. Laetitia eum animum vetat colligere: omnia servo pollicetur. Tum ad sententiam exaggerandam adhibetur clausula, quae quidem cum versu priore cohaerens, tamen, quod attinet ad sensum, ad sequentem traducit.

24. Andr. 636; cf. p. 31 n. 31.

Charinus nuntio allato, Pamphilum Chremetis filiam ab ipso amatam in matrimonium ducturum esse, maxima cum indignatione prodit. Neque vero hoc in cantico 625—38,

quod a Conradtio (p. 82) usque ad versum 654 extenditur, sententiarum partes facile dinoscuntur, nisi versus 625—29 a reliquis secernimus. Itaque clausula 636 illa quidem a totius carminis argumento aliena est, sed cum sententia tum numero attinet ad versum praecedentem et utpote proverbium *Heu, próxumus sum egomét mihi* magna utitur gravitate.

Ex his, quae dixi, satis apparet primum quidem omnes clausulas pondere quodam sententiae uti, deinde dividi in cola finalia et initialia, quorum priora semper cum versu antecedente perpetuo cohaerent numero, atque ita, ut pleraque (16) sententiarum partes claudant, cum quattuor primum versum ordinis sententiarum excipiant et quattuor ad sermonem usurpentur exaggerandum atque augendum. Quae colorum genera etiam in clausulis initialibus invenies. Nam illae numero continuo cum versu sequente coniunguntur praeter duas, quae ob eam ipsam causam utuntur proprio iure.

III.

De personarum intra cantica mutatione.

In canticis Terentianis, ut iam paucis commemoravimus capite primo, compositionem tripertitam agnoscendam esse et praeter epodos strophas et antistrophas contineri inter se respondentes Conradtius vir doctissimus sibi persuasit. Quae opinio nec per se verisimilis est, quia iam in exemplis Graecis, quae Terentius secutus est, compositionem solutam, non tripertitam regnasse constat, neque aliter defendi potuit nisi multis locis audacissime in traditum versuum tenorem saeviendo.

Cuius rei insigne exemplum reperies in Phormionis carmine v. 179—91, quod dividitur a Conradtio hasce in partes (p. 124 sqq.):

I stropha 179—83.

(correctus) ꝛNullú's, Geta, nisi iam áliquod tibi consílium celere réperies:
Íta nunc imparátum subito tánta te impendént mala:
Quae néque uti devitém scio neque quómodo me inde éxtraham:
(deletus) [Nam nón potest celári nostra diútius iam audácia.]
ꝛQuid íllic commotús venit?

II antistropha 184—86.

ꝛTum témporis mihi púnctum ad hanc rem est. érus adest. ꝛQuid illúc malist?
ꝛQuód quom audierit, quód eius remedium ínveniam iracúndiae?
Loquárne? incendam: táceam? instigem: púrgem me? laterém lavem.

In codicibus A B C D' F P versus 179 legitur trochaicus octonarius neque quidquam habet mendi:

Núllus es, Getá, nisi iam aliquod tíbi consilium célere reperis.

Quem cum versum iambicum octonarium scribat necesse sit, Conradtius a librorum lectione aberrat adeo, ut verbo *reperies* pro *reperis* recepto non solum *nullus es* in *nullu's*, sed etiam *nisi* in *ni*, quod quidem est contra usum Terentianum,[1] contrahat. Sed cum ne hoc quidem modo offeratur responsio inter stropham et antistropham, Conradtius versum 182 delere non dubitat; nec recte. Nam primum quidem hunc versum verba antecedentia optime comprehendere facile intellegitur, deinde etiam in verbo *celari* non est offendendum, quod hoc loco idem significat ac *latere*. Et ne sic quidem est congruentia inter stropham et antistropham, cum deficiat antistropham, qui postulatur, iambicus dimeter acatalectus. Quae Conradti ratio ut exemplis magis pateat, liceat nobis admonere, de quibus capite altero disputavimus, versuum Eun. 651; Hec. 520; Ad. 158.

Huc accedit altera causa. Constat enim strophas et antistrophas in chori carminibus tragoediae comoediaeque Graecorum usque quaque claudi gravi interpunctione et sententia integra. Sed Conradtius huic legi adeo vim et auctoritatem nullam tribuit, ut stropharum antistropharumque finis plerisque locis medias sententias interrumpat.

Cuius rei primum adhibeas exemplum Hecyrae versus 841—53, quod carmen Conradtius dividit hasce in partes:

I. stropha 841—42.
II. antistropha 843—44.
III. epodus 845—53.

Verum, quod attinet ad sententiam, canticum in tres partes dissecare necesse est, quarum prima complectitur versus 841—44, altera versus 845—47, tertia 848—53.

---

[1]) O. Brugmann, *Über den Gebrauch des kondicionalen Ni in der älteren Latinität*, *Lipsiae* 1887.

Conradtius autem, quamquam ipse hanc partitionem confitetur esse rectam, tamen de illa cogitur decedere, ne formulam suam evertat: versibus 841—44, quorum argumentum dividi nequit, in stropham et antistropham binorum versuum diffissis, versum 843 contra omnes editores trochaicum octonarium legit. Ubi primum quidem manifestum est Conradtium argumento insolenter vim attulisse, deinde vero nemo non mirabitur, quod ex binis constent versibus et stropha et antistropha, ex novem epodus. Praeterea, quis hos binos versus strophas nominabit?

Quam rem multo planiorem facit Charini monodia in Andriae versibus 625—33, quae a Conradtio in versus 625—29 et 630—33 disponitur. Sed versu 629 sensus neutiquam concludi potest, cum finis strophae Charini verba molestissime interrumpat:

629. Ídnest verum? ímmo id est péssumum hominúm genus, ||
630. Dénegandí modo quís pudor paúlum adest.

Eiusmodi etiam sunt Eun. 211, 624; Phorm. 187, 235, 490; Hec. 283, 522; Ad. 291, 524; quibus omnibus locis gravis interpunctio non exstat.

Maioris autem momenti, quam de quibus modo verba feci causis, est ea, quae spectat ad personarum mutationem. Atque hic paulo longius mihi repetendum est eo, quod hanc rem Conradtius plane neglexit. Qua in quaestione deliberatio omnis est haec, quomodo in canticorum fontibus, in commis et carminibus amoebaeis tragoediae comoediaeque Graecorum secundum responsionem antistrophicam compositis, personae usurpentur mutatae.

Ac primum quidem afferamus ea carmina, in quibus eaedem personae eodem loco alternant et strophae et antistrophae. Quorum numerus quamquam permagnus est, tamen primo aspectu offeruntur exempla, quae et post stropham et post antistropham histrionum trimetros inserunt, personis stropharum non mutatis.

In hanc classem referendum est carmen Aeschyli in

Septem v. 185—226, quia usque quaque chori strophas et antistrophas ternos histrionis trimetros sequi perspicuum est:

st. 1.	185—89	trim.	190—92
ant.	193—97		198—200
st. 2.	201—4		205—7
ant.	208—11		212—14
st. 3.	215—17		218—20
ant.	221—23		224—26.

Similiter res se habet in Euripidis Andromacha v. 808—23, quo in cantico singuli trimetri histrionis versibus Hermionae respondentibus adiunguntur:

825—27	Hermiona	828	histrio
829—31	"	832	"
833—35	"	836	"
837—39	"	840	"

Iam vero alterum canticorum genus licet cognoscere. Etenim existunt carmina, quae stropham et antistropham eo modo distribuunt inter chorum et histrionem, ut in utraque parte eadem persona eandem sedem occupet; quod maxime liquet ex Sophoclis Electrae parodo v. 120—232, ubi singulae strophae et antistrophae choro et Electrae tribuuntur, Electra in antistropha semper eodem loco chori cantum excipiente, quo in stropha:

st. 1.	121—28	chorus	ant. 1.	137—44	chorus
	129—36	Electra		145—52	Electra
st. 2.	153—63	chorus	ant. 2.	173—84	chorus
	164—72	Electra		185—92	Electra
st. 3.	195—200	chorus	ant. 3.	213—20	chorus
	201—12	Electra		221—32	Electra.

Quod idem usu venit in Euripidis Alcest. v. 885—90 = 902—7, eo tamen discrimine interposito, ut hoc loco non solum eaedem personae respondeant, sed etiam complura verba strophae artificiose iterentur in antistropha (αἰαῖ, ἒ ἔ, φεῦ φεῦ, ἰώ μοί μοι, πρόβα πρόβα — τύχα τύχα).

Sed ne diutius huic generi immoremur, examinemus nunc ea carmina, in quibus quamquam personarum mutatio eundem

tenet locum, tamen pro certa persona strophae certa persona antistrophae substituitur; ac primum ita, ut non chorus et histrio, sed histriones inter se loca mutent.

Quod maxime ex Sophoclis Electrae[1]) commo 1404—41 intellegitur. Nam in illo carmine ut versus 1410—20 versibus 1430—40 accuratissime respondent, ita strophae versus 1404—6 et 1409 carent antistrophicis.

I. 1404 ΚΛ — — ⏑ — ⏑ —
⏑ — ⏑ — — — ⏑ — — — ⏑ —
ΗΛ ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ —
ΧΟ ⏑ — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ — ⏑ — —
ΚΛ — — ⏑ — — — ⏑ — ⏑ — ⏑ —
1410 ΗΛ ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ ΚΛ — ⏑ — ⏑ —
— — ⏑ — ⏑ — ⏑ ΗΛ — ⏑ — ⏑ —
— — ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ —
ΧΟ — ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑
— ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑ — ⏑ —
1415 ΚΛ — — ⏑ — — ΗΛ — ⏑ — ⏑ — ⏑ —
ΚΛ — — ⏑ — — ΗΛ — ⏑ — — — ⏑ —
ΧΟ ⏑ — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ —
⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — — — ⏑ — ⏑ — —
— ⏑ — ⏑ — ⏑

II. . . . .
. . . .
. . . .
1428 ΧΟ — — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ — ⏑ — —
. . . .
1430 ΗΛ — — ⏑ — — — ⏑ ΟΡ — ⏑ — ⏑ —
⏑ — ⏑ — ⏑ — — ΗΛ — ⏑ — ⏑ —
— — ⏑ — — ⟨— ⏑ — ⏑ — ⏑ —⟩
ΧΟ — ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑
— ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑ — ⏑ —
1435 ΟΡ — — ⏑ — ⏑ ΗΛ — ⏑ — ⏑ — ⏑ —
ΟΡ — — ⏑ — ⏑ ΗΛ — ⏑ — ⏑ — ⏑ —
ΧΟ ⏑ — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ —
⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — —
— ⏑ — ⏑ — ⏑

---

[1]) Kaibel, Soph. Electra p. 28 sq.

Iam exsistit quaestio, quid hoc sibi velit; utrum poeta ita scripserit, an codicum lectioni diffidendum sit. Qua in quaestione apparet omnem cantici compositionem ad congruentiam spectare, atque si quis [2]) dixerit Clytaemestra in scaena non versante versus 1404, 1405, 1409 solutos esse responsione, huic sententiae officit, quod Clytaemestrae verba v. 1410, 1415, 1416 verbis Orestis diligentissime opponuntur et Electrae versum 1406 deficit versus respondens. Quocirca fieri non potest, quin hoc loco codicibus culpa sit attribuenda, praesertim cum personarum mutatio semper eodem loco et strophae et antistrophae inveniatur, personae autem ipsae, scilicet in parte integra, optime ex adverso positae sint: chorus choro, Electra Electrae, Clytaemestrae Orestes.

In Sophoclis Oedip. R. commo 650—97 discernitur inter stropham 650—68 et antistropham 679—97, Iocasta et Oedipode in vicem respondentibus, cum trimetri 669—78, qui inter stropham et antistropham positi ad Creontis missionem pertinent, parte congruente careant. Etiam apud Euripidem pulcherrimum huius rei exemplum reperimus in Troadum versibus 579—96, quibus in versibus usque quaque eo loco, quo stropha praebet Andromacham, in antistropha Hecuba inducitur.

Nec differunt Aristophanis comoediae. Nam tantum abest, ut poeta indulgeat licentiae, ut contra leges, quas usus sanxit, diligentissime sequatur. Quod evidenter illustrant exempla non dubiae fidei.

Etenim in Lysistrata v. 781—804 = 804—28 ut chori senum et mulierum inter se contrarii, ita seni strophae mulier antistrophae opponitur; et similiter, si conferas Vesparum versus 526—45 = 631—47, facile intellegas, cum chorus sedem non mutet, in stropha Bdelycleontem respondere Philocleonti antistrophae, praeterquam quod iambici septenarii 642—43 a Philocleonte solo recitantur.

Ad ea prope accedunt exempla, in quibus chori et histrionis loca inter se mutantur. Eius modi est carmen 348—429 in

[2]) Wilamowitz, *Herakles* II[2] 165.

Sophoclis Aiace. Quamquam enim Aiacis primam et stropham et antistropham bini trimetri chori excipiunt, tamen in trimetris alterius strophae usque quaque Tecmessa tenet eum locum, quem chorus in antistropha, et vice versa. Tertium autem stropharum par similiter ac primum binis trimetris Tecmessae et chori terminatur. Quodsi Antigonae commum 1261—1346 spectamus, primae partis antepodum uno trimetro carere et versus 1278—83 nuntio, Creonti, nuntio tribui in promptu est, cum in antistropha versus 1301—5 a nuntio solo reddantur. Res autem facillimam admittit medelam. Nam in libris manuscriptis v. 1281 leguntur haec:

τί δ' ἔστιν αὖ κάκιον ἢ κακῶν ἔτι;

Sed cum versus corruptus sensu careat, coniecerunt Pflugkius:

τί δ' ἔστιν; ἢ κάκιον αὖ κακῶν ἔτι;

G. H. Müller (emend. Soph. p. 61):

τί δ' ἔστι δὴ κάκιον ἢ κακῶν ἔτι;

quas coniecturas non probamus, quia nec κάκιον κακῶν nec κάκιον ἢ κακῶν ferri potest. Quam ob rem versus ille, qui turbat responsionem, ut insanabilis cum Heilandio delendus videtur. In secunda vero stropha, quae chori duobus versibus clauditur, semper respondet severissime nuntius choro antistrophae.

Eadem res egregie perspici potest ex Oedipodis Col. versibus 510—48, quorum in prima stropha et antistropha chorus et Oedipus secundum legem alternant, cum in parte altera eaedem personae ex adverso ponantur.

In nullo vero tragoediae aut comoediae Graecae carmine amoebaeo, ni fallor, occurrunt exempla, in quibus ut personae eodem mutantur loco, ita ordo personarum lege solutus esse videatur. Quam ad rem nihil refert, utrum personae in initio versus an medio in versu alternent.

At — quaerat hic quispiam — nonne exsistunt cantica, quae respondente personarum mutatione carent? Illud iam attente considerandum. Nam in Ionis versibus 207—21 = 222—45 Euripides maximam licentiam sibi videtur permisisse eo, quod omnes versus et strophae et antistrophae illi quidem

plane congruunt, sed sexies trimeter Ionis in antistropha interponitur. Itaque personarum mutationis leges non migrantur, sed potius amplificantur, ut carminis compositio a libera non multum absit. Non aliter iudicandum est de Aristophanis Acharn. v. 929—39 = 940—51. Nam cum hoc in cantico congruentia omni ex parte conspiciatur, versus 936—39 Dicaeopoli soli, respondentes autem versus 947—51 Boeoto et choro tribuuntur. Sit ita sane; sed nihilo setius etiam hic mutatio conservatur principalis. Quod Aristophanes etiam in Vespis sibi indulget v. 291—302 = 303—15. Nam quattuor partes principales possunt discerni, prima v. 291 : 303, altera 297 : 309, tertia 299 : 312, quarta 300 : 313, quarum ordo in stropha bis (v. 292, 298), in antistropha semel (v. 314) a puero interrumpitur.

Tertium vero exemplum invenies in eiusdem fabulae versibus 413—29 = 461—87, quo in carmine iterum gravissimarum mutationum sedibus servatis (415—16; 420—21; 461—70) etiam aliae personae inseruntur.

Ac ne Euripidis quidem de Herculis furentis versibus 735—48 = 750—61 est dubitandum: omnes praebent pulcherrimam congruentiam verbis Lyconis 749 et 754 exceptis. Sed illi versus omnino a responsione segregandi videntur, cum eos ex interiore domo resonantes audiri pateat.[1])

Aliter res se habet in Aristophanis Avium versibus 410—12 = 413—15, qui in codicibus ita scribuntur:

ΧΟΡΟΣ. τύχη δὲ ποία κομί-
ζει ποτ᾽ αὐτὼ πρὸς ὄρ-
νιθας ἐλθεῖν;
ΕΠΟΨ. ἔρως
βίου διαίτης τε καὶ
σοῦ ξυνοικεῖν τέ σοι
καὶ ξυνεῖναι τὸ πᾶν.

Sed sine dubio libri peccaverunt manuscripti, quoniam auctore Koechlyo versus levi mutatione hunce in modum restitui possunt:

1) Wilamowitz, *Herakles* II² p. 188.

ΧΟΡΟΣ. τύχης δὲ ποίας κομί-
ζει ποτ' αὐτὼ πρὸς ὄρ-
νιθας ἐλθεῖν ἔρως;

ΕΠΟΨ. βίου etc.

Iam restat, ut ad Thesmoph. versus 668—87 = 707—27 aggrediamur, qui ab omni congruentia abhorrere videntur eo, quod in stropha chorus solus verba facit, in antistropha autem septies personae alternant:

668—87.

8ἢν γάρ με λάθῃ δράσας ἀνόσια,
δώσει τε δίκην, καὶ πρὸς τούτῳ
τοῖς ἄλλοις ἔσται ἅπασιν
παράδειγμ' ὕβρεως ἀδίκων τ' ἔργων,
ἀθέων τε τρόπων·
φήσει δ' εἶναί τε θεοὺς φανερῶς,
δείξει τ' ἤδη
πᾶσιν ἀνθρώποις σεβίζειν δαίμονας,

δικαίως τ' ἐφέποντας
ὅσια καὶ νόμιμα μηδομένους ποιεῖν
ὅτι καλῶς ἔχει.
κἂν μὴ ποιῶσι ταῦτα, τοιάδ' ἔσται·
αὐτῶν ὅταν ληφθῇ τις ὅσια δρῶν,
μανίαις φλέγων,
λύσσῃ παράκοπος,
εἴ τι δρῴη πᾶσιν ἐμφανὴς ὁρᾶν
ἔστιν γυναιξὶν καὶ βροτοῖς,
ὅτι τὰ παράνομα τά τ' ἀνόσια θεὸς
ἀποτίνεται
παραχρῆμά τε τίνεται.

707—27.

8τί ἂν οὖν εἴποι πρὸς ταῦτά τις, ὅτε
τοιαῦτα ποιῶν ὅδ' ἀναισχυντεῖ;
8κοὔπω μέντοι γε πέπαυμαι.
8ἀλλ' οὖν ἥκεις γ' ὅθεν οὐ φαύλως
ἀποδρὰς λέξεις
οἷον δράσας διέδυς ἔργον,
λήψει δὲ κακόν.
8τοῦτο μέντοι μὴ γένοιτο μηδαμῶς,
[ἀπεύχομαι.
8τίς ἄν σοι, τίς ἂν σύμμαχος ἐκ θεῶν
ἀθανάτων ἔλθοι ξὺν ἀδίκοις ἔργοις;
8μάτην λαλεῖτε· τὴν δ' ἐγὼ οὐκ ἀφήσω.
8ἀλλ' οὐ μὰ τὼ θεὼ τάχ' οὐ
χαίρων ἴσως ἐνυβριεῖς
λόγους τε λέξεις ἀνοσίους.
ἀθέοις ἔργοις γὰρ ἀντα-
μειψόμεσθά σ' ὥσπερ εἰκός, ἀντὶ τῶνδε
τάχα δέ σε μεταβαλοῦσ'
ἐπὶ κακὸν ἑτερότροπον
ἐπέχει τις τύχη.

Ac priorum quidem versuum congruentia dubitationi locum non dat. Nam utrumque canticum incipit ab anapaestis, qui usque ad verba ἤδη: κακόν accurate inter se respondent corruptelis levibus exceptis. Sed maiorem difficultatem inesse versibus sequentibus et metrum et sententia ostendunt. Leguntur enim in antistropha duo dimetri trochaici, duo dochmiaci, qui in stropha non nisi nimis violentis emendationibus restitui possunt,

cum trimetri iambici 676:717 recte inter se opponantur. In reliquis autem versibus propter corruptam codicum lectionem tanta haeret perversitas numerorum, ut responsio nulla evadat. Quod frequentibus confirmatur emendationibus (Reisigii, Hermanni, Fritzschii, Engeri, Blaydesi, Velseni), quae omnes inter se valde discrepant. Itaque apparet, quamquam complura responsionis indicia conspiciantur, tamen vere responsionem inter carmina 668—87 et 707—27 nullam esse.

Quibus cognitis cum rem complectimur animo, dilucide efficitur, ut in his carminibus per strophas factis personarum mutatio eodem loco et strophae et antistrophae inveniri soleat, sive eaedem personae, ut maximam partem fit, respondent, sive ita locantur, ut certa persona strophae certae personae antistrophae opposita sit. Quam ob rem, si in canticis Terentianis versus disponuntur antistrophice, leges personarum mutationis servatas esse oportet. Illae autem a Conradtio plane neglectae sunt, ut facillime cognoscas ex his duobus exemplis:

1. Hec. 516—22 = 523—28 (Conradt p. 179).

516.	523.
ʒ—∪—∪—∪—∪—∪—∪—∪—∪	—∪—∪—∪—∪—∪—∪ʒ—∪—∪
—∪—∪—∪—∪—∪—∪—∪—∪	ʒ—∪—∪—∪—∪—∪—∪—∪—∪
—∪—∪—∪—∪—∪—∪—∪—	—∪—∪—∪—∪—∪—∪—∪—
—∪—∪—∪—∪—∪—∪—∪—∪	—∪—∪—∪—∪—∪—∪ʒ—ʒ∪—∪
—∪—∪—∪—∪—∪—∪—∪—∪	—∪—∪—∪—ʒ∪—∪—∪—∪—∪
—∪—∪—∪—	
ʒ—∪—∪—∪—∪—∪—∪—∪—	—∪—∪—∪—∪—∪—∪—∪—

Quo in carmine ne uno quidem loco personas respondere facile perspicitur.

2. Hec. 607—12 = 613—17 (Conradt p. 182).

607.	613.
ʒ—∪—∪—∪—∪—∪—∪—∪—∪	ʒ—∪—∪ʒ—∪—∪—∪—∪ʒ—∪—∪
—∪—∪—∪—∪—∪—∪—∪—	ʒ—∪—∪—∪—∪—∪—∪—ʒ∪—
—∪—∪—∪—∪—∪—∪—∪—∪	—∪—∪—∪—∪ʒ—∪—∪—∪—∪
ʒ—∪—∪ʒ—∪—∪—∪—∪—∪—	—∪—∪—∪—∪—∪—∪—∪—
ʒ—∪—∪ʒ—∪—∪—∪—∪—∪—	—∪—∪—∪—∪—∪—∪—∪—
∪—∪—ʒ∪—∪—∪—ʒ∪—	

Etiam his in versibus responsio nulla deprehenditur, praeterquam quod Laches in primorum versuum initiis et strophae et antistrophae loqui incipit.

Similiter autem atque his duobus locis a Conradtio ubique peccatur, sedibus mutationum et personis ipsis ne in simplicissimo quidem cantico secundum legem respondentibus.

Itaque, cum omnis responsio auribus percipiatur necesse sit, hac quoque de causa opinio Conradti reicienda videtur.

Vita.

Natus sum **Guilelmus Baese** pridie Id. Mart. anni 1879 in oppido, cui nomen est Burg, patre, quem priore anno morte mihi ereptum esse doleo, Ernesto, matre Maria e gente Delorme. Fidem profiteor evangelicam.

Primis litterarum elementis imbutus inde ab anno 1888 gymnasium Burgense frequentavi et maturitatis testimonio instructus ineunte vere anni 1898 in ordinem civium academicorum universitatis Marpurgensis receptus sum, ut bis sex menses studiis philologicis incumberem, praecipue linguae Latinae, Graecae, Germanicae. Tum migravi Halas, ubi quinquies sex menses studiis absolvendis operam dedi.

Docuerunt me viri doctissimi Marpurgenses: Birt, Brandi, Justi, Koester, Maass, Niese, Oldenberg, Schröder, Thiele, Tuczek; Halenses: Blass, Bremer, Burdach, Dittenberger, Haym †, Maurenbrecher, John Meier, Robert, Saran, Strauch, Uphues, Wissowa.

Quibus omnibus viris doctissimis optimeque de me meritis, inprimis magistris veneratissimis Birt et Wissowa, quo suasore et duce hanc composui commentationem, gratias ago quam maximas.